

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1054

1052

1058

1048

1063

1043

1103

1003

0953

0553

0053

Ende

Anfang

481

filius Nerei dei oceanii et Doris uxoris ejus, ex quibus juxta poeticam narrationem nati sunt amnes, nymphae, omnes humiditates, fontes et flumina. Primogenitus filius Nerei et Doris dicitur Archelous, fons quidam Graeciae, quem dicunt primum de terra erupisse. Fons autem ille sanctus erupit ex petra ad imperium Domini et peracto ministerio suo cessavit, sicut stella trium Magorum non mansit post ministerium et columba, in qua visus est Spiritus sanctus. Non fuit haec aqua data ad aliquem usum alium nisi ad potum, et credimus non immerito, aquam fuisse dulcissimam, clarissimam, sanissimam et delectabilissimam, quae numquam amaritudine infecta fuerat, sicut aquae caeterorum fontium omnes in oceano et mari infectae fuerunt amaritudine et per colationem terrae mundificatae, nec aqua haec per aliquem usum abominationem contraxit, sicut aliae aquae ad sordes deserviunt et abominabiles inde fiunt, sicut fertur contigisse fonti dicto Aniger: hic a primordio dulcis fuit, clarus et sanus, sed dum Hercules gigas cum centauris congregiens eos vulnerasset, cucurrerunt centauri ad fontem illum et in eo vulnera sua laverunt, unde accidit, quod ab eo tempore usque nunc fons ille habet aquas immundas, foetidas, insanias et salsa. De fonte nostro dicit, psalm.: Interruptus petram in eremo et ad aquavit eos velut in abyso multa. Habet enim petra illa hodie signa interruptionis in multis locis; non enim exivit aqua de pede petrae, sed undique ex ea profluxit et prosiliit, sicut hodie in ea cernitur. Haec petra venerandissima redditur et propter mirabilem aquae profusionem et propter imitabilem significationem: significat enim secundum apostolum in ep. 1. Cor. 9. ipsum Christum, petra autem, in qua erat Christus, hanc petram circuivimus et ipsam deosculati sumus.

Deinde consequenter processimus et in vallem Tholas dictam descendimus et ibi vidimus ruinas cuiusdam antiqui monasterii, in quo olim plures deguerunt sancti, et secus monasterium antrum magnum et profundum in montis penetralia ducens, in quod antiqui patres sancti transfigerunt, abscondentes se a lumine creato, ut in tenebris lumen increatum cernerent, quia Joh. 1.: Lux in tenebris lucet; et David in psalm.: Nox illuminatio mea in deliciis meis; sicut tenebrae ejus, ita et